

Monatlich erscheint  
eine Nummer von  
je ein u. einhalb Bogen.  
Preis bei der Post  
halbjährlich Mk. 1.50.

# Pastoralblatt

Geeignete Beiträge und  
Zuferte (à 20 Pf. die Zeile)  
möge man direkt an  
den Redakteur gelangen.  
Lassen.

für die Diocese Ermland

herausgegeben von

Professor Dr. F. Hipler, Regens des Priesterseminars zu Braunsberg.

N<sup>o</sup> 1.

Achter Jahrgang.

Januar 1876.

Inhalt: Pastoral Schreiben an den Klerus. — Erlaß des bischöfl. ermländischen Generalvikariats. — Weihwasserbeden für Kirchen aus Steingut. — Die Pfarrer der ermländischen Landkirchen. — Miscellen: a) Memoriale vitae sacerdotalis. b) Ein Priester kommt nicht allein. — Diöcesannachrichten.

## Philippus

Dei miseratione et Apostolicae Sedis gratia  
Episcopus Warmiensiis

*Venerabili Clero Dioecesis Salutem in Domino!*

Ubi primum, fratres et cooperatores charissimi, ad hanc Cathedram, licet indigni, pervenimus, conventus parochorum a Praedecessoribus Nostris iam praescriptos, qui decursu temporum in desuetudinem abierunt, itemque conferentias pastorales quotannis haberi decrevimus. Huic ordinationi Nostrae cum animi alacritate obsecundavistis, fratres, et magno saepe gaudio affecti sumus, quum argumenta conventuum his annis peractorum consignata perlegerimus. Etenim ex hac lectione perspeximus, non solum res a Nobis propositas plerumque perite et prudenter a Vobis discuti, sed etiam quaestiones difficiliorese theologia pastorali, morali vel liturgica desumtas convenienter tractari et super dubiis et controversis Nostram decisionem postulari. Praeterea non paucae ex dissertationibus, quae a Vobis exaratae in illis coetibus leguntur, diligenter a Vobis et sollerter conscriptae sunt et, quae temporum necessitudines rerumque vicissitudines flagitant, apprime respiciunt. Minime quidem Nos laetet, eas passim auxilio librorum similes materias tractantium concinnatas esse, id quod nullo modo vituperandum ducimus; quinimmo aliter vix fieri posse quisque prudens intelliget, dummodo fontes, e quibus hausistis, ingenuè enuncientur. Illae vero elaborationes et a Nobis, in quantum tempus supeditat, et a viris doctis et in cura animarum versatis accurate recognoscuntur censuraeque imperitae in responsione Nostra ad clerum decanatus notificantur. Quibus, velimus, et ad instructionem vestram et tanquam stimulo et incitamento ad materias magna cum attentione tractandas utamini, neque timemus, ne, si fortasse aliquid minus rectum vel a mente s. matris ecclesiae alienum inveniatur et a Nobis notetur, hoc stomachum cuiquam vestrum movere valeat, qui non laudem affectatis inanem, sed solida emolumenta quaeritis sinceritatis et veritatis.

Quae vero in capitulis ruralibus et conferentiis pastoralibus tractantur quaestiones, eae in coetibus decanorum et archipresbyterorum coram Nobis quotannis habendis iterum discutiuntur, sententiae diversae ponderantur et quae magis expedire videntur eruuntur. Quibus consultationibus innixi ea statuere vel hortari proposuimus, quae Nobis ad utilitatem et profectum dilectissimae Dioecesis Nostrae magis conferre videntur. Die 19. Octobris vertentis anni archipresbyteri et decani rursus vocati huc convenerunt et coram Nobis et Vicario Nostro Generali res a Vobis iam agitatae denuo discussae sunt. Auditis igitur illorum et Vestris consiliis et matura deliberatione praemissa sequentia pro hac vice Vobiscum communicanda esse duximus.

### 1. De emigrationibus in terras transmarinas.

E relationibus Vestris comperimus, haud raro catholicos ex aliquibus regionibus Nostrae Dioecesis in terras transmarinas emigrasse. Quum vero illis gravia pericula tum temporalia tum spiritualia in portibus, in navibus et in ipso adventu atque in terris istis cura animarum sufficiente multifariam destitutis imminere soleant, commendamus Vobis, ut fideles curae Vestrae commissos ab hac emigratione avertere studeatis. Qui autem in proposito suo firmi remanent, eos opportunis monitionibus et instructionibus adversus discrimina illa praemunitis eisque tesseras tradite, quae a pia societate a S. Raphaelè Archangelo vocata et curae peregrinorum intentae distribuuntur. Recurrite igitur ad secretariatum Nostrum, a quo dictas tesseras accipietis, quae parochianis Vestris transmigraturis magnum praesidium et tutelam in itinere praebebunt.

### 2. De peregrinationibus sacris.

Sacras peregrinationes ad fovendam Christiani pietatem valde salutare esse, si recte instituuntur, s. mater Ecclesia semper tenuit. Ut autem adversariis nostris, qui hoc praesertim tempore blasphemare, quae ignorant, et propterea etiam calumniari hunc morem haud cessant, quatenus legem eum prohibentem nansciscantur novum-

que vulnus ecclesiae infligant, quaelibet ansa adimatur, sedulo in id incumbere pergite, fratres dilectissimi, ut strictiori, quo possint, ordine et maiore cum aedificatione proximi omnia procedant atque vel umbra mali omnesque perturbaciones ab iis peregrinationibus arceantur. Curabunt igitur providi pastores, ut si per plures dies fideles in peregrinando versantur, omnia in ipso itinere et in diversoriis convenienter parentur ac decori omnino consulatur, et si ipsi cunctis providere nequeant, probos viros matronasque tanquam peregrinationis rectores seligent, qui curam omnium gerant, preces cantilenasque pias moderentur atque vigilent, ut quae ad aedificationem et decorem ordinata sunt, executioni mandentur. Idem pro sua sapientia praestabunt parochi eorum locorum, in quibus peregrini pernolant.

### 3. De ministris in ss. sacrificio missae.

Reverentiae sacrificio ss. missae debitae venit, ut pueri ministrantes calceis et vestibus decentibus, scilicet talaribus, induti sint. Si hoc fortasse in quibusdam locis propter paupertatem puerorum non observatum est, Vestrum erit, huic malo opportunis modis providere, sive propriis sive ecclesiae sumptibus ea, quae deesse videntur, comparando.

### 4. De doctrina christiana in concionibus apte distribuenda.

Animarum curam gerentibus praecepto divino, ut aiunt Tridentini Patres (sess. 23. cap. 1 de reform.) mandatum est, oves suas verbi divini praedicatione pascere. Huic obligationi Vos satisfacere bene scimus. Quum autem nonnulli mox hanc, mox illam materiam pro lubitu seligant, facile fieri potest, ut aliquot capita doctrinae christianae negligantur vel omnino omittantur, aliquot e contra saepius ac plus aequo repetantur. Qua re per motus iam praedecessor Noster p. m. Cl. Simon Rudnicki, spectatissimos praesules, qui idem ordinarant, Stanislaum Hosium et Martinum Cromerum secutus, in suis constitutionibus synodalibus (p. 278.) sancivit, ut parochi iuxta Catechismi Concilii Tridentini praescriptum certis anni temporibus salutaria dogmata et religionis christianae tesseras, iisdem temporibus accommodatas, suis ovibus proponerent, ita ut tum in decalogi, tum in symboli Apostolici, tum in sacramentorum et orationis Dominicae explicatione versarentur. Et in Synodo Dioeciesana a. 1726 a clarissimo antistite Warmiensi Christophoro Szembeck celebrata cap. XVI. de catechesi et verbi divini praedicatione haec habentur: „Pastores et curatores animarum postquam miserunt manus ad aratrum, suscepto onere pastoralis curae, apostolico verbi divini vomere scindere et praeparare debent corda simplicium, ut recipiant satum et germinent ad fructum. Hoc optime fit

per catecheses, hae sunt antiquissimae et primae omnium praedicationes. Ipsorum enim Apostolorum conciones fere tantum erant catecheses, ait Cornelius a Lapide, unde patet, munus catechisandi esse primarium ecclesiae et Apostolicum . . . . Quam ob rem insistendo statuto serenissimi et reverendissimi principis Poloniarum Joannis Alberti praedecessoris Nostri in ultima synodo Gutstadii in Collegiata a. 1624 die XVII. Maji condito, statui- mus, ut parochi plebes sibi commissas ad propagandam earum salutem erudiant, ita ut, si fieri possit, catechismum in concionibus per annum percurrant.“ Quos sermones catecheticos ut saltem alternis dominicis haberent parochi, princeps episcopus Josephus ab Hohenzollern, antecessor Noster summe venerandus, litteris datis Schmolainen 1. Jul. 1823 pulcherrime de munere catechisandi disserens ordinavit. De necessitate porro huius methodi proluxa exstat et valde apposita epistola pastoralis celeberrimi Episcopi Aurelianensis Felicis Dupanloup, quae ex gallico idiomate in linguam vernaculam versa Friburgi a. 1867. apud Herderum bibliopolam prodit, („Unterhaltungen über die populäre Predigtweise“), cuius argumentum aliquis vestrum in conferentiis pastoralibus concinne proposuit (Cfr. Erml. Pastoralblatt 1875 p. 73 sq.). Optima haec est instructio et ad munus catechisandi recte obeundum admodum proficua. Item etiam Instructio Pastoralis Eystettensis in capite de munere concionandi monet, seriem materiae in concionibus tractandae dividant verbi divini praecones secundum ordinem catechismi dioeciesani, ita ut in dominicis per annum in forma concionatoria materia catechismi uberiori cum explicatione proponant et per spatium quidem singulorum quinquenniorum repetant, quatenus populus et succrescens iuventus per continuam culturam sufficienter in fide et sanctitate vitae edoceantur.

Hoc omnino approbamus atque pro Dioecesis Nostrae indigentia sequenti modo ad meliorem finem existimamus esse perducendum.

### Ordo concionalis.

a) Sunt fere per annum sexaginta septem dies festivi, quibus praedicandi officium ab ecclesia parochis iniungitur, scilicet quinquaginta duae dies Dominicae et haec viginti duo festa in foro celebranda:

1) Immaculae Conceptionis B. M. V., 2) Nativitatis Domini, 3) S. Stephani, 4) Circumcisionis Domini, 5) Epiphaniae D., 6) Purificationis B. M. V., 7) Annuntiationis B. M. V., 8) et 9) Paschatis I. et II., 10) S. Adalberti, 11) Ascensionis D., 12) et 13) Pentecostes I. et II., 14) Ss. Trinitatis, 15) Corporis Christi, 16) Ss. Ap. Petri et Pauli, 17) Assumptionis B. M. V., 18) Nativitatis B. M. V., 19) Dedicacionis omnium ecclesiarum, 20) Omnium Sanctorum, 21) S. Andreae Apostoli, 22) Patroni ecclesiae.

Ex quibus festis circa octo in dies Dominicas incidunt, ita ut quadraginta quatuor Dominicae et deductis etiam sex Dominicis Quadragesimae, quibus specialis praedicandi materia reservatur, triginta circiter octo Dominicae restent, in quas tum homilias de evangelio Dominicae tum conciones catecheticas modo mox indicando proponimus distribuendas. Scilicet in his triginta octo Dominicis, incipiendo a Dominica I. vel II. post Pascha et perducendo eas usque ad tempus Quadragesimale anni sequentis, conciones catecheticae primo anno de symbolo Apostolico habeantur, secundo anno de decalogo, tertio anno de gratia et sacramentis, quarto anno per semestre de oratione dominica, et per semestre de caerimoniis et rebus liturgicis, quinto anno homiliae super evangeliis Dominicarum iuxta eum modum, quem prooemium catechismi Romani ad parochos quaest. XI., XII. et XIII. praeclare indicat.

Elapso lustro idem ordo repetatur.

In plerisque his concionibus categeticis haud difficile erit ex evangelio Dominicae occurrentis exordium et transitum ad materiam categeticam invenire et, quae temporum circumstantiae et fidelium necessitudines flagitant, sermoni adiungere et coaptare.

b) In Dominicis vero Quadragesimae concionatores in praedicatione passionis Domini vel quatuor novissimorum vel poenitentiae similiumve thematicum versari possunt.

c) In illis viginti duobus festis in foro celebrandis (necnon feria VI. in Parasceve, in commemoratione omnium fidelium defunctorum et in exitu anni) materia concionatoria pro temporis festivi indole ad lubitum sacri oratoris prudenter eligatur. At nihil obstat, si materia categetica illi temporibus obvia quadrat, quin etiam haec adhibeatur.

d) Ubi plures sacerdotes alternatim in eadem ecclesia praedicant, communi deliberatione coram rectore eius praemissa certus ordo statuatur totaque materia praedicationis apte ita distribuatur, ut omnia religionis christianae argumenta iuxta seriem modo expositam explicentur. Consultum tamen ipsis praedicatoribus erit, inter se convenire, ut certam quisque materiam doctrinae christianae tractandam suscipiat non interruptis sed continuis dominicis diebus, donec alter aliam partem per aliquod tempus explicaturus in eius locum succedat, quia facilius oratori evadit, si materiam doctrinae continuam absolvere poterit.

e) In nulla fere disciplina theologica apud nos tam multi exstant libri apposite exarati, qui predicatorem in concinnandis his sermonibus adiuvent, quam in hac categetica. Quorum principatum facile obtinet catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos Pii V. P. M. iussu editus, quem semper in manibus habere praedicatori fas esto.

Ex operibus recentioribus hic nominasse iuvabit, quae a Deharbio, Masslio, Mehlero, Schustero, Stolzio, Wilmersio, Zollnero ad elucidandum catechismum conscripta sunt; maxima autem commendatione dignae sunt illae catecheses, quas nuper Jacobus Schmittius, Dioecesis Friburgensis presbyter, hoc titulo edidit: *Erklärung des mittleren Deharbe'schen Katechismus*. Friburgi apud Herderum 1872—1875.

f) Ut vero, fratres mei, fructus uberrimi ex his sermonibus categeticis proveniant, assidua sollertia et in discendo et in docendo opus est. Percurramus accurate iuxta auctores laudatos et alios laudandos materiam doctrinae fidelibus proponendam, meditemur de ipsa et quasi in interiora eiusdem pervadamus, oculos nostros semper levantes ad patrem luminum, ut ab ipso confortati tanquam boni dispensatores inveniamur, qui de thesauro divinitus aperto nova et vetera proferamus atque domesticis nostris cibum praebeamus in tempore. Sic eveniet, ut et anima nostra superno lumine illustretur, et sermo noster sale sit conditus fiatque ignitus, quo divini amoris in cordibus fidelium vis accendatur atque regnum Dei et interius et exterius crescat magis ac dilatetur. Meminerimus, fratres charissimi, de thesauro illo nobis concredito magnam nobis reddendam esse rationem. Ne vilipendamus gregem, inflati scientia nostra, quantulacunque sit; ne confidamus linguae promptitudini, quae obvia quaeque effutiat, aut de sarcinulis alienis cibaria parum convenientia facile depromat, agnoscamus vultum ovium nostrarum et quaeramur ipsis pascuas idoneas, salubres, pingues, sanae doctrinae, non parcentes industriae et labori, ne servo iuutili comparemur, qui sudariolo involvit talentum suum, indignationem utique Domini experiturus. Cogitemus, quanta sit boni merces dispensatoris! „Qui bene praesunt presbyteri“, ait Apostolus, (I. Tim. 1, 17.) „duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo et doctrina.“ Utinam in agrum Domini ad seminandum nobis vocatis illud Apostoli (I. Tim. 4, 16) in auribus usque tinniat:

„Attende tibi et doctrinae, insta in illis! Hoc enim faciens et te ipsum salvum facies et eos, qui te audiunt.“

Ille vero, quem diximus, ordo quoad materiam doctrinae Christianae in concionibus distribuendam a Paschate proximo initium velimus capiat.

##### 5. De catechismo pueris tradendo.

Quum nuper legibus civilibus parochis inspectio scholarum adempta et instructio religiosa iuventutis in schola ipsa interdicta sit, aliaque discrimina et detrimenta pueris in veritate christiana erudiendis immineant, sequentia Vobis remedia proponimus:

a. Pro instructione religiosa a ludimagistris in schola impertienda certa methodus ad apte dis-

tribuendam doctrinae christianae materiam a Nobis statuetur, quae in omnibus parochiis eodem tempore inchoetur et ad finem perducatur. Parochi autem caeterique curam animarum exercentes invigilabunt, ut haec methodus exacte observetur.

b. Deinde iidem semel qualibet hebdomada certa die horaque pro instructione religiosa stabilita, et in scholis extra sedem parochialem sitis semel saltem quovis mense, scholas singulas vel in unam congregatas adibunt puerosque examinant, num ea, quae a magistro tradita fuerint, bene intellexerint, et dogmata fidei christianae et historias V. et N. testamenti uberius explicabunt, vel si in hac re exequenda a magistratibus civilibus impediuntur, semel qualibet hebdomada horis pomeridianis a schola vacuis pueros in ecclesiam vel alium locum convenientem convocabunt ibique examina et catecheses de materia catechismi et historiae biblicae, quae hebdomada proxime elapsa in schola tractata est, habebunt. Vestrum autem erit parentes exhortari, ut liberos suos in has catecheses mittant, et cum ludimagistris etiam consuetudinem amicam fovere, ut et ipsi curae Vestrae ingenue assistant.

c. Ludimagistri, qui vel in seminario vel postea sectae eorum, qui falso se „veteres catholicos“ nominant, nomen dederunt, ad instruendam in religione iuventutem admitti non possunt, nisi eiuratis erroribus cum Ecclesia reconciliati fuerint. Si igitur sprete monitione in haeresi perseveraverint et catechismum docere non omiserint, parentes serio monendi sunt, ne pueros in hanc instructionem mittant, et accurata relatio de rebus hucusque gestis ad Nos dirigenda est, ut ea, quae rerum gravitas postulat, praescribamus. Omnes vero ludimagistri, qui catechismum in schola docent, professionem fidei Tridentinam emittant, saltem si definitivam vocationem acceperint. Innovamus ergo, quae Venerabilis Praedecessor Noster Josephus Princeps ab Hohenzollern edicto suo d. d. 26. Junii 1827 statuit, cuius tenor est: „Omnes et singuli ludimagistri seu praecceptores, qui ad mentem Concilii Tridentini adolescentibus in Catechesi erudire teneantur, abhinc circa institutionem et receptionem ad scholas professionem fidei emittant secundum formam a Pio IV. fel. record. Pontifice Maximo editam idque coram decano foraneo vel ipsius vices gerente, qui quidem antequam fidei professio emittatur, pro rerum exigentia vel strictim vel fusius fidei dogmata explicet et de huiusmodi explicatione et fidei professione facta protocollum lingua vernacula exaratum et a rei huius testibus subscriptum ad Nos vel Officialem Nostrum Generalem transmittat.“

d. Instructionem puerorum, qui ad suscipiendam prima vice ss. eucharistiam praeparantur, ad duos annos extendere, sicuti antea usus obtinuit, et nunc quoque in quibusdam decanatibus observatur, prudenti arbitrio parochorum relinquitur.

#### 6. De catechesi dominicali.

Conc. Trid. sess. XXIV. c. 4 de ref. episcopis iniungitur, ut saltem dominicis et aliis festis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectet, doceri curent et si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellant, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus. Et constitutiones Dioecesis Nostrae synodales Rudnecianae p. 143 sic decernunt: „Quum rudimentorum fidei Christianae tanta sit necessitas, ut ab iis tanquam a fundamentis religionis nostrae universorum hominum salus dependeat, ante omnia parochis nostris serio mandamus et praecipimus, ut singulis saltem diebus dominicis pueris in suis parochiis tempore aestivo, a Paschate videlicet usque ad festum S. Michaelis, initia fidei tradant, eosque ad obedientiam primum Deo deinde parentibus praestandam erudiant, ac propterea a prandio stata hora proprio campanae sono ad id munus assignato ad ecclesiam convocandos curent.“ Quantopere vero hodiernae rerum circumstantiae hanc instructionem, quae, quod sane dolendum, tempore infausto in desuetudinem abiit, flagitent, nemo est, qui non intelligat. Itaque praecceptis Ecclesiae ac statutis Dioecesanis, quae innovamus, innixi et fidelium necessitatibus compulsi cunctis parochis et parochorum vices gerentibus hisce in nomine Domini iniungimus et praecipimus, ut abhinc in omnibus ecclesiis parochialibus vel curatilibus saltem mensibus aestivis, i. e. a principio Maji usque ad finem Octobris, qualibet dominica, hora pomeridiana opportuna, vel si alicubi magis id expedire videatur, antemeridiana catechesis eo ferme modo habeatur, qui in instructione Eystettensi (§ 6. cap. V. tituli XIV. p. 436—442.) de munere catechizandi fusius descriptus est. Materia huius instructionis tum ex iis repeti convenit, quae in schola hebdomada praeterita docta sunt, tum ex evangelii dominicae incidentis, vel ex festis anni christiani explicandis, tum ex aliis gravioribus fidei capitibus a catechista iuxta ordinem catechismi Dioecesanii prudenter selgendis. Ubi autem haec catechesis, quod convenit, horis pomeridianis fit, cartus psalmodum vespertinum in lingua vernacula omitti poterit. Huic doctrinae non solum pueri puellaeque omnes novennio maiores, sed etiam iuventus e schola iam dimissa ipsique adulti interesse debebunt. Qui ut magis ad frequentandas huiusmodi instructiones lucro spirituali alliciantur, libenter permittimus, ut in fine earum post orationunculas vel litanias et cantilenas cum SSmo. Sacramento in pyxide incluso benedictio imper-tiatur.

Quum vero actorum civilium consignatio atque scholarum inspectio a parochis in magistratus civiles translata, et exinde pro accrescente onere catechismi dominicalis per semestre, magna etiam opera, qua per annum gravati erant parochi, ab ipsis ablata sit, confidimus fore, ut in hac mutatione rerum parochi,

qui auxilio cooperatorum gaudent, crebrius quam ordinationibus antecessoris Nostri P. M. Josephi Ambrosii d. d. 15. Junii 1847 et 26. Nov. 1859 statutum est, in verbi Dei praedicatione et in puerorum instructione occupentur atque aequa lance haec onera inter sese et cooperatores pensitent.

#### 7. De matrimoniis mixtis.

Experientia edocti probe nostis, quot damna quotque pericula animarum ex matrimoniis mixtis proveniant. Quamobrem Vos iterum atque iterum exhortamur, ut catholicos utriusque sexus ab hisce nuptiis ineundis, quantum potestis, absterreatis atque matrimonia huiusmodi omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagatis. Saepius igitur sive in praedicationibus sive in privatis colloquiis exponite causas gravissimas, propter quas s. mater ecclesia ab huiusmodi matrimoniis semper abhorruit eaque detestata est. Commendamus autem Vobis lectionem libelli exiguae quidem molis, sed rerum copia praecleari, quem sub titulo arboris vetitae („der verbotene Baum für Katholiken und Protestanten“) notissimus ille et popularis autor Albanus Stolz edidit. In his praesertim parochiis, in quibus catholici cum heterodoxis permixti vivunt, et multa matrimonia mixta contrahuntur, distributio dicti libelli valde utilis erit. Bibliopola vero Friburgensis Herder paratus est pretium minuere et pro 22 centesimis libellum vendere, si maior numerus exemplarium comparetur. Qui igitur libellum hunc emere et fidelibus distribuere avent, quot quisque exemplaria exoptet, secretario vel capellano Nostro annuntient parochi et curati.

#### 8. De infantibus surdis et mutis.

In nostra provincia haud pauci infantes surdumuti inveniuntur, e quibus non exigua pars absque ulla educatione adolescit. Quare parochorum zelum excitamus, ut his miseris meliori quo possint modo succurrere studeant. Decani vero et Archipresbyteri in visitationibus suis exquirent, quot in unaquaque parochia surdumuti adsint, et quomodo instructioni illorum prospiciatur et de hac re in relationibus, quas de peractis visitationibus quotannis ad Nos mittunt, certiores Nos reddent. Opus perutile et animabus proficuum erit, si nonnulli sacerdotes in variis Dioecesis regionibus methodum instruendi surdo-mutos addiscant, ut hos miseros ad susceptionem ss. sacramentorum praeparare valeant. In hunc usum confecti sunt catechismi imaginibus instructi, quibus fidei nostrae articuli ad captum surdo-mutorum repraesentantur.

De indigentia et mediis his infantibus succurrendi hoc anno opusculum prodiit magistri Marienburgensis saluti ipsorum apprime intenti J. Radomski, quod considerationi vestrae enixe commendamus. Inscriptus est libellus: Rathgeber und Mahnruf betreffend die Taubstummen.

#### 9. De sepultura rite exequenda.

Praecepta Ritualis Warmiensis ad normam Romani anno MDCCCLXXIII. publicati sancte et inviolate observanda esse serio praecepimus; vim obligandi in conscientia habent, nec licet ab eis sive mutando, sive addendo, sive detrahendo recedere. Quare, quum Rituale duos ordines sepeliendi adultos totidemque sepeliendi parvulos contineat, plures ordines inducere et in ordine aliquo nonnullas orationes vel cantus omittere vel caeremonias vertere non est permissum. Si vero taxa iurium stolae a Nobis approbata plures classes sepulturae distinguit, haec differentia in solo apparatu externo quoad maiorem vel minorem pompam feretri, numerum candelarum, solemnitatem missae etc. consistere debet, ut in Rituali p. 201 et 214 expositum est.

#### 10. De habitu clericali.

Quum passim in his, quae conversationis et habitus clericalis decentiam spectant, aliquid desiderandum videatur, placuit hic in mentem revocare gravissima quae de hac re synodus Tridentina statuit praecepta, scilicet sess. XIV. cap. VI. de ref.: „Quia, vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes ecclesiasticae personae, quantumcumque exemptae, quae aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si posteaquam ab episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini ac dignitati congruentem, et iuxta ipsius episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant, constitutionem Clementis V., in concilio viennensi editam, quae incipit „Quoniam“ innovando et ampliando.“ Sess. XXII. cap. I. de ref.: „Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos coniciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac reli-

gione plenum, prae se ferant: levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo maiore in ecclesia Dei et utilitate et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint observanda; statuit sancta synodus, ut quae alias a summis pontificibus et a sacris conciliis de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus necnon saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt; eadem in posterum iisdem poenis, vel maioribus, arbitrio ordinarii imponendis, observentur, nec appellatio executionem hanc, quae ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si quae vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant; non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas Deo vindice poenas persolvant.<sup>4</sup>

Inhaerendo igitur decretis eademque innovando, quae fel. record. praedecessores Nostri Josephus et Principibus Hohenzollern et Josephus Ambrosius Geritz variis litteris circularibus, et praesertim d. d. 1. Oct. 1824, 2. Januarii et 3. Martii 1827 et 2. Oct. 1843, circa gestationem tonsurae et vestitus clericalis nec non circa vetitam tabernarum frequentationem et conversationis sacerdotalis integritatem promulgaverunt, de vestitu clericali accuratiora ordinanda esse duximus, quia dolenter animadvertimus canonicas sanctiones hac super re non ab omnibus recte intelligi et observari.

In obeundis sacris ministeriis sacerdotes non nisi veste talari utantur; idem fiat, si coram Episcopo vel eius Vicario Generali compareant, vel si ad salutandum Serenissimum Imperatorem et Regem Nostrum vel quendam Principem e Regia familia ad certum aliquem locum accedant.

Optamus quoque et valde commendamus, ut sacerdotes in loco domicilii sui veste talari utantur, praesertim si scholas adeant vel infirmos visitent, quum vestis illa sit proprie sacerdotalis, quam non nisi ex causa rationabili deponere convenit.

Permittimus, ut pro usu communi brevior vestis adhibeatur, dammodo nigri vel certe nigricantis coloris sit et talis longitudinis, ut saltem genua tegat. Interiora quoque vestimenta eiusdem coloris esse debent. Levitatem vero illam, candidum indusium aperta circa pectus subucula gestandi districte prohibemus. Qui collari, tegumento hoc ecclesiasticis proprio et convenienti, uti noluerint, saltem eius loco non aliud quam sudarium nigri coloris adhibeant. Ad caput obtegendum galeri, qui vulgo „Mützen vel Kappen“ nominantur, decori clericali parum convenientes sunt, quare nemo in publico eos portet, nisi ob frigorum tempestatumve iniurias vel in itinere decentis formae tegumentum eiusmodi adhibere necessarium esse visum fuerit. In obeun-

dis vero sacris functionibus, sepulturis praesertim, et in itineribus ad ministrandum viaticum, hoc minime fiat, sed exigente id necessitate birettum tunc sive pileolus ecclesiasticis usitatus semper adhibendus est.

Quum vero hae salutares constitutiones iam saepius datae fuerint et nihilominus quasi levioris ponderis a nonnullis, qui mundano pulvere delectantur, negligantur, autoritate Episcopis iuxta sacros canones et praesertim Sacri Concilii Tridentini (sess. XIV. cap. VI. de reform.) competente declaramus, omnes sacerdotes in conscientia obligatos esse, ut ea, quae de honestate et habitu clericali, de vitanda tabernarum frequentatione et de gestatione coronae clericalis tam a Praedecessoribus Nostris quam a Nobis constituta sunt, accurate observent, et pariter archipresbyteros et decanos eadem obligatione teneri, ut sacerdotes suorum respective decanatum, si qui harum ordinationum transgressores existant, moneant, et si qui fortasse contempta monitione in inobedientia perseveraverint, ad Nos deferant, alias officio suo haud satisfacturos, immo connivendo violatae disciplinae obnoxios esse futuros. Si vero in aliqua regione certis de causis ex observatione harum ordinationum maiora quaedam incommoda enasci videantur, ad Nos recurrendum est, ut opportuno modo provideamus. Memores simus, fratres mei charissimi, non mundum sed Dominum esse partem haereditatis nostrae; ne parvipendamus, ut monent Concilii Tridentini patres, propriam dignitatem et honorem clericalem, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus, neve interius neve exterius conformemur huic saeculo, sed in omnibus nos exhibeamus tanquam ministros Christi et dispensatores mysteriorum eius, atque Dominum nos secuti contemptum a mundo et contemptorem mundi, contemni et vilipendi ab hoc saeculo ne formidemus, dicente Apostolo: „Exeamus ad eum extra castra, improprium eius portantes.“ (Hebr. 13, 13.)

#### 11. De applicatione ss. missae in quibusdam festis suppressis.

Quae praedecessor Noster felic. record. Josephus Ambrosius Geritz litteris encyclicis die 26. Junii 1858 datis de parochorum obligatione applicandi missam pro populo diebus festis abrogatis statuit, ea, habita praesertim ratione diminutionis reddituum, quam nonnulli parochi absque culpa sua patiuntur, strictim ad normam constitutionis Urbani VIII., quae incipit: „Universa per orbem“, reducenda esse duximus. Quare declaramus, inde ab initio anni venturi 1876 liberos esse parochos ab onere applicationis sequentibus novem festis: S. Casimiri (4 Mart.), S. Marci Evang. (25. Apr.), S. Stanislai Ep. M. (7. Maji), Visitationis B. M. V. (2. Julii), S. Mariae Magdalenae (22. Jul.), S. Martini Ep. C. (11. Novbr.), S. Elisabeth Vid. (19. Novbr.), S. Catharinae V. M. (25. Novbr.) et S. Nicolai Ep.

C. (6. Decbr.), teneri autem missam applicare die festo S. Silvestri Pp. C. (31. Decbr.)

12. De festo S. Iustini philosophi Martyris.

Sanctissimus Dominus noster Pius P. IX, precibus Nostris, ut in Calendario Dioecesis Warmiensis inscribatur festum S. Iustini Philosophi Martyris, die XIII. Novembris 1874 benigne annuit. Qua concessione fructi mandamus ac statuimus, ut deinceps festum huius inelyti Martyris ex decreto S. Rituum congregationis sub ritu duplici XIV. Aprilis cum officio et missa iuxta exemplar ab eadem S. Congregatione approbatum celebretur. „Cum enim“, ex sententia illius decreti, „inter ceteros temporum nostrorum errores praecipuum teneat locum rationalismus, qui omnem divinam respuens revelationem, rationi tantum humanae standum esse affirmat, cuius viribus homines ad plenam veri et boni possessionem iugi profectu conduci possint, ideo spem fovemus, ut quemadmodum Beatus Iustinus in terris degens philosophorum sectas profligavit, et apud principes mundi huius Ecclesiae causam fortiter egit, ita nunc coelesti gloria circumdatus errorum tenebras discutiat, eandemque Ecclesiam validissimo suo patricinio Deo commendet felicisque tueatur.“

13. Decisiones quaestionum propositarum.

Tam in capitulis ruralibus quam in conferentiis pastoralibus et in conventu decanorum variae quaestiones propositae sunt, quarum responsa scire omnibus proficuum fore speramus. En igitur decisiones Nostrae.

a) Matrimonia catholicorum solum coram magistratu civili contracta in locis, ubi decretum Concilii Tridentini de clandestinis coniugiis promulgatum est, irrita coram Deo et ecclesia atque nulla sunt.

b) Matrimonia mixta solum coram magistratu civili contracta, ex eo, quod impedimentum clandestinitatis in his connubiis a die XXX. Novembris 1853 pro hac Dioecesi sublatum est, graviter quidem illicita sed valida sunt, si contrahentes animum habent, hoc actu verum matrimonium ineundi. Quod tamen praesumendum non est, quare in singulis casibus, utrum hac intentione contractum sit matrimonium, inquisitio instituenda est.

